Heffner

1837

Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Brandenburg

von Ostern 1838 — Michaelis 1839,

womit zu der

öffentlichen

Prüfung und Redeübung

aller

Klassen,

Freitag, den 27. September,
Vormittags von 8½ Uhr und Nachmittags von 2 Uhr an,

im Namen der Lehrer

ehrerbietig einladet

F. W. Braut,
Königl. Professor und Director.

Vorangeschickt eine wissenschaftl. Abhandl. vom Prorector Gymn. Hrn. Prof. Heffter:
„De Zenodoto eiusque studiis Homericis."

Brandenburg 1839.
Gedruckt bei J. J. Wiesike.

Bei der Correctur ist in nachstehender Abhandlung noch Folgendes übersehen worden, was der Verf. vor dem Lesen zu verbessern bittet:

Pag. 2. in der letzten Zeile des Textes lese man statt est, sit;
— 7. Zeile 18. st. ne, num;
— „ Not. 42. st. super, supra;
— 9. Zeile 11. st. nos, nobis;
— „ „ 18. st. praesertim, praecipue;
— 12. „ 4. v. u. st. κεὶ, καὶ.

De Zenodoto
eiusque studiis Homericis.

Ex quo Fridericus Augustus Wolfius, quae erat summa eius acies ingenii et doctrina, criticos quos dicunt homines in emendandis explicandisque Homeri carminibus ab ovo, ut in proverbio est, incipere docuit, h. e. omnia omnium, qui antea unquam fuissent, interpretum atque emendatorum studia perlustrare sive, ut dicam brevius, quasi historiam interpretationis atque emendationis illorum poëmatum cognoscere, non defuerunt viri docti, qui, cum intellexissent, quam recte et apte ad rem ista ratio proposita esset atque instituta, exemplum illius hominis sequerentur vel acriore etiam iudicio ac maiore diligentia quamcunque de vita Homeri et de fatis eius carminum narrationem investigantes atque excutientes, velut recentissimo tempore Nitzschius, is ipse, qui academiam Kiloniensem et eruditione sua et politiore humanitate ornat. Quid? quod singulorum doctorum hominum, qui antiquitus fuerunt, studia separatim coepta sunt exquiri, ut Aristarchi, de cuius studiis Homericis nuper docte et copiose exposuit Lehrsius in libro singulari, qui anno huius saeculi tricesimo tertio in lucem est editus.

Et sane inter eos criticos, qui olim vixerunt ac de Homeri poëmatibus bene meruerunt, facile princeps habendus est Aristarchus ideoque prae caeteris dignus erat, cuius opera et labor hoc in genere illustraretur. Notum est ac pervulgatum, eum Alexandriae vixisse. Sed in ea urbe non primus invenit illam viam ac rationem; immo hanc laudem paravit sibi ac postulat alius vir, tantum non par Aristarcho et haud minus memorabilis, Zenodotus, qui quidem illic quasi fundamenta posuit criticae artis, h. e. eius disciplinae, quae versatur in explicando purgandoque a vitiis contextu sermonis, qui est in scriptis veterum. Is igitur haud minus Aristarcho dignus fuerit, in cuius studia diligentius inquirant, qui accurate Homeri carmina intelligere atque de eorum ratione recte statuere velint. Et nos quidem cum de hac re scribendi laborem susceperimus, instituimus primum de vita Zenodoti, deinde de eius studiis Homericis exponere.

Zenodotum natum fuisse Ephesi, illustri Asiae urbe, quae et ipsa gloriabatur se genuisse Homerum, non modo Suidas [1]) testatur verum etiam illud

---

1) S. v. Ζηνόδοτος.

Caesii seu Tzetzae [2]) scholium, quod nuper ab Osanno Gisenensi Romae detectum, plenum autem a Ritschlio ante hunc unum annum est editum [3]), quanquam mendose scriptum ibi legitur Ephestius. Sed quo tempore primum hanc lucem solis adspexerit, ignoramus; id tantum scimus ex eodem Suida [4]), natum [5]) eum fuisse regnante Ptolemaeo, rege Aegyptiorum, eoque Primo sive Lagi filio. Inde ut non dubium efficitur, distinguendum eum esse ab alio quodam Zenodoto, qui, Alexandrini cognomine appellatus, Aristarcho suppar fuisse putandus est atque adversarius; nam eius criticam artem exagitasse fertur [6]). Tertius homo eiusdem nominis profertur in scholiis antiquis, quibus Homeri [7]) et Arati [8]) carmina illustrata sunt, Mallotes cognominatus, fortasse idem, qui alicubi [9]) Crateteus vocatur. Sed recte, opinor, negavit Wolfius [10]), hunc ab isto altero fuisse diversum, ut ab aliis a patria Mallotes, ab aliis ex more illius aetatis a domicilio Alexandrinus dictus esset fuissetque in iis Cratetis discipulis, qui magistri cum Aristarcho contentionem fecisset suam.

De Ephesii illius Zenodoti parentibus, fortunis, educatione, disciplina nihil est in veterum scriptorum libris memoriae proditum, nisi quod idem ille Suidas [11]) refert, magistro eum usum fuisse Phileta Coo, poëta olim clarissimo. Sed ubi locorum ab hoc eruditus sit, Ephesine an Alexandriae, an etiam alia in urbe, dubitant quidem nonnulli docti homines; verum cum item e Suida [12]) intelligamus, eidem illi Philetae a Ptolemaeo Lagida Philadelphum filium datum esse in disciplinam, cumque, etiamsi hic Philadelpus in insula Co natus esse fertur [13]), tamen, quia id haud dubie fortuito evenerat [14]), vix est credibile

---

2) Sub Caesii nomine, quod quidem est in libro manu scripto, Tzetzen illum grammaticum latere, primus docuit Gust. Dindorfius in Museo Rhenano philol. IV. p. 232.

3) In libello, qui inscriptus est: die Alexandrin. Bibliotheken ꝛc. p. 3. sq.

4) Ibidem.

5) Küsterus quidem verba, quae sunt apud Suidam: ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονὼς τοῦ πρώτου, vertit: Vixit sub Ptolemaeo primo. Sed tempore perfecto verbi γίγνεσθαι hic vis nulla est alia nisi propria illa: natum esse.

6) Testante Suida s. v. Ζηνόδοτος 'Αλεξανδρεύς.

7) Eustath. ad Iliad. T. I. p. 185. lin. 2. sq. (ed. Lips.) p. 253. lin. 20. et Schol. p. 42. p. 6. lin. 47. (ed. Bekk.)

8) Phaenom. 35. (p 55. ed. Bekk.)

9) Schol. Hom. Il. XXIII, 79. (p. 606. b. 24. ed. Bekk.)

10) Prolegg. p. CXCIX. Ut Wolfius, iudicavit et ipse Wegener in libro, quem scripsit de Aula Attalica. Vol I. p. 158.

11) Ibidem s. v. Ζηνόδοτος.

12) S. v. Φιλητᾶς. Cf. Bach. de vit. Philetae. p. 7.

13) Schol. Theocr. XVII, 58.

14) De hac re plura te docebit Droysenius in libro, quem inscripsit: Geschichte der Nachfolger Alexanders des Großen. I. p. 418. Not. 26. p. 630. sq. Nachträge p. 741. sq.

filium post in ista insula, procul a parentibus, institutum esse: certum, ut videtur, est aut saltem maxime probabile, Philetam posthac a Ptolemaeo Primo, ut filium institueret, vocatum esse Alexandriam [15]), eodemque commigrasse Zenodotum, puerum adhuc aut adolescentulum, ut poëtae clarissimi disciplina frueretur. Eruditus autem sine dubio est ab hoc magistro primum in arte poëtica, quam ob rem et ipse posthac carmina pepigit eaque heroica, quocirca Suidas [16]) eum ἐποποιὸν nuncupat, deinde in grammatica, quae quidem disciplina illis temporibus non solum prima literarum elementa sed orationis etiam graecae tam prosae quam poëticae regulas, quas hodie grammaticas et stylisticas dicunt, tum cognitionem scriptorum sive literaturam graecam, denique criticam artem complectebatur. Unde factum est, ut Zenodotus etiam grammaticus evaserit, quo quidem nomine ab eodem illo lexicographo appellatus est.

Sed quo tempore Zenodotus Alexandriam profectus sit, ut Philetae se daret, ne id quidem certo scimus; sic satis tamen coniectura nobis licet assequi. Suidas enim eius vitae descriptioni, cum iusto sit brevior, hoc tamen addidit, eundem etiam docuisse liberos Ptolemaei. Jam vero quidam quaerunt, uter fuerit ille Ptolemaeus? Soterne an Philadelphus? E contextu quidem verborum, quae sunt apud lexicographum, nemo sane potest alius intelligi quam Lagi filius, quem antea Suidas expresse dixerat. Tamen dubitarunt de ea re nonnulli viri eruditi iique et ob ingenii acumen et ob doctrinam haud contemnendi: primus Manso in eo libro, quem inscripsit: Vermischte Schriften. Is disputat ibi [17]) sic: „Wenn der Lexicograph hinzusetzt: „„Auch Ptolemäus Kinder unterrichtete „„Zenodot,““ so kann hier unmöglich Ptolemäus der Erste gemeint sein, wofern, wie „Suidas selbst und Mehrere bezeugen, Zenodot und der zweite Ptolemäus Schüler Philet's waren.“ Quam sententiam amplexi sunt et Weichertus in libro, quem de vita et heroico carmine Apollonii Rhodii composuit [18]) et Partheyus in libello, quem nuper de Museo Alexandrino conscripsit [19]), qui quidem Suidae verba adeo corrupta ducit. In utramque quidem partem modo Ritschlius [20]) disputavit in commentatione, quam supra commemoravimus; magis tamen inclinat in Mansonem, ob quam causam maximopere laudatus est a Bernhardyo [21]), qui et ipse eandem tenet sententiam. Eam tamen Geierus in docta illa scriptione, qua Ptolemaei Primi vitam illustravit et commentarios, impugnare conatus est [22])

15) Hanc rem magis tibi persuadebit Bachius in libro, quem iam attulimus, qui est de Philetae vita.

16) S. v. Ζηνόδοτος.

17) T. I. p. 291. Not.

18) Pag. 12. Not. 14.

19) Pag. 71.

20) Pag. 9. sqq. 81. sqq.

21) Jahrbb. f. wiss. Kritik. 1838. Decbr. №. 104. p. 825.

22) Pag. 68.

isque iure suo. Recte enim defendit, posse et magistrum aliquem et eius discipulum una postmodo magistros communes fieri tertii alicuius hominis, potuisse ergo etiam Philadelphum simul et a Phileta et ab eo, qui Philetam habuisset praeceptorem, Zenodoto erudiri. Quae cum verissima sint, nego equidem, Suidae verba aut mutanda esse aut detorquenda, immo ita interpretanda, ut contextus ipsorum iubet, i. e. credo, lexicographum hoc dicere: Zenodotus Ptolemaei Primi liberos instituit, inter eos et ipsum Philadelphum. Quam sententiam equidem etiam propterea mordicus tenendam arbitror, quod aetas illorum hominum nil repugnat. Est enim verisimillimum, ne dicam certissimum, natum esse Ptolemaeum Secundum eo tempore, quo pater classe expeditionem contra Antigonum faciebat et Halicarnassum oppidum erat expugnaturus, h. e. anno ante Christum trecentesimo nono, cum Lagi filius quatuordecim iam annos regnasset [23]). Atqui si ponimus, adspexisse Zenodotum hanc lucem coeli ineunte illius regis imperio, circiter anno Olymp. CXV, 1., sive anno trecentesimo vicesimo a. Chr. n., is quindecim fere annis maior fuit Philadelpho itaque sane fieri potuit Philadelphi magister. Quin potuit, etiamsi sumis cum pluribus annis iuniorem fuisse. Neque enim raro reguli, si luxuriosi [24]) sunt atque industriae et laborum insolentes ac fastidiosi, sero demum sapiunt aliorumque magisterio atque institutione excedunt, contra mature, qui, e populo oriundi, aerumnis fortasse pressi, iam a pueris summum studium in literis ponunt.

Itaque Zenodotus, quamvis puer adhuc aut adolescentulus, non solum Alexandriam venisse putandus est sed in notitiam quoque et familiaritatem Ptolemaei Primi. Et hunc quidem honorem sine dubio insigni suae et ingenii et doctrinae laudi debuit. Unde hoc quoque potuit fieri, ut, cum rex partim suo amore literarum ductus partim Demetrii Phalerei consilio permotus magnam vim librorum comparare et in urbe sua capitali bibliothecam cum Museo coniunctam coepisset condere [25]), ei, teste eodem Suida [26]), Zenodotus praeficeretur idemque primus et iam ab hoc ipso Ptolemaeo, Lagi filio. Id tamen accidisse non potest prius quam anno circiter ducentesimo nonagesimo a. Chr. n., quo quidem Soter triginta fere annos et quod excurrit, regnaverat, et quo Zenodotus poterat agere annum aetatis tricesimum, si quidem verum est, quod supra ponebamus, natum eum esse initio regni Ptolemaei Primi. Namque tum demum (h. e. cum Cassander mortuus esset, i. e. anno ducentesimo nonagesimo sexto a. Chr. n.) istum Demetrium, cuius auctoritate permotus rex biblio-

---

23) Legendus Droysen. II. allatis, Geierus p. 49.

24) Philadelphum initio nimis deditum fuisse luxuriae, testatur Phylarchus. Athen. XII, 51. (p. 536. E.) Apud Lucht. №. XLI.

25) De hac re copiose disputavit Geier. p. 61. sqq.

26) Ibidem.

thecam fundavit, e Graecia in Aegyptum migrasse, certum est atque exploratum [27]). Eo igitur tempore nondum poterat neque bibliotheca esse Alexandrina neque Zenodotus bibliothecarius. Si cui vero ista aetas satis immatura videatur tanto muneri, Zenodotus haud dubie rara fuerit ac singulari eruditione et humanitate, bibliotheca autem tunc nondum potuit tantam voluminum copiam comprehendere, ut praesidis munus aliquanto gravius et amplius videretur esse quam pro iuventute Zenodoti.

Obiit Ptolemaeus Soter quadraginta annis post mortem Alexandri Magni, h. e. anno a. Chr. n. ducentesimo octogesimo tertio, cum Zenodotus, nisi fallor, annum aetatis tricesimum octavum, Philadelphus vicesimum septimum ageret. Hic, quem pater iam duobus annis ante in regni societatem assumpserat [28]), in imperio successit. Igitur necesse est existimemus, regnante Ptolemaeo Secundo, Zenodotum perrexisse suo fungi munere, quod mox multo et honorificentius et difficilius est factum. Nam bibliotheca immensis crescebat auctibus; Philadelphus enim patre etiam superior fuit literarum amore.

Quamdiu igitur Zenodotus illud munus gesserit, incertum est neque minus id incertum, quo anno vitam cum morte commutarit. Vix tamen aut ne vix quidem aetas eius Philadelphi vitam, quae finita est anno ducentesimo quadragesimo sexto a. Chr. n., excessit. Sed dum bibliothecae praefuit, opportunam habuit occasionem cum de literis universe tum de isto librorum thesauro optime promerendi. Cum enim Ptolemaei Secundi iussu tanta voluminum [29]) copia esset coacta, ut nemo iam posset totam oculis perlustrare et dispicere, singulos libros memoria complecti eorumque locum facile invenire; deinde cum haud dubie singula singulorum scriptorum opera confusa atque dispersa, multae eorum partes non recte dispositae essent, exemplaria complura multorum librorum inter se discreparent, voluit rex, ut volumina disponerentur atque editiones pararentur quam castigatissimae. Igitur pluribus viris (nam tantae moli non poterat unus par videri) mandavit, ut prae caeteris, opinor, poëtarum [30]) libros colligerent et in iustum redigerent ordinem [31]), h. e. ut sin-

---

27) Lege sis Clintonii fast. Atticos. I. p. 191. (ed. Krüger.)

28) Hoc disces ab eodem Clinton. p. 194.

29) Non barbarorum sed graecorum tantum; in bibliotheca enim alexandrina nonnisi graeca scripta vel peregrina quidem pauca, sed quae antea in graecum sermonem translata erant, velut hebraica, reposita sunt. De qua re qui aliter statuerunt, ut recentissimo tempore Partheyus et Ritschlius in iis libris, quos supra commemoravimus, vehementer errant; nituntur enim novissimorum incertorumque scriptorum auctoritate, qua nemo niti debet; quam ob causam recte eos culpavit et meliora edocuit Bernhardyus, iudex hoc in genere subtilissimus et locupletissimus. (Jahrbb. f. wiss. Kritik. 1838. April. No. 66. sqq. Decbr. No. 104.)

30) Cf. Düntzerus: Homer u. d. epische Kyklos. p. 46. sq.

31) Leg. Tzetz. scholium, quod supra attuli.

gula volumina animi attentione summa perlegerent, quae ab eodem auctore profecta viderentur, in unum corpus et in unum locum congregarent, aliena seiungerent et, si qua in libris corrupta invenissent aut incomposita, a mendis purgarent et in suo loco reponerent, interpolata notarent [32]). Ad quod munus electi sunt Alexander Aetolus, cui tragoediae, Lycophron, cui comoediae, Zenodotus, cui ut bibliothecae praefecto ideoque honoratiori homini primae partes, i. e. Homeri poëmata et reliquorum illustrium poëtarum (velut Hesiodi, Anacreontis, Pindari [33])) opera evenerunt [34]). Quocirca hunc Suidas [35]) emendatorem (διορθωτὴν) Homeri usurpat, quanquam falso primum; namque ante eum iam multi elaboraverant in summi poëtae carminibus et corrigendis et interpretandis [36]). Hunc autem errorem et quae multa alia a scriptoribus posteriorum aetatum ficta sunt, ut subtilius refutemus et recte de Zenodoti in Homerica carmina meritis (nam de eius meritis in reliquos poëtas nihil constat) statuere doceamus, altius est res et a capite repetenda. Duo autem sunt fontes, ex quibus hic queamus haurire, primum cognitio fatorum, quae Homericis carminibus ante Zenodotum fuerint, deinde quae aut antiqui interpretes et correctores in scholiis passim aut grammatici et lexicographi datis occasionibus annotarunt.

Atque nunc quidem constat inter omnes, Homerum unum saltem duo illa maiora poëmata, Iliadem et Odysseam, omnino, i. e. exceptis paucis quibusdam partibus, pepigisse. Sed utrum iam ab initio literis consignata fuerint an soli hominum memoriae tradita, dubium est [37]), neque id scire magni refert. Tamen hoc quidem certo scimus, pervenisse ea quocunque modo satis integra ad eam usque aetatem, quam rerum gestarum scriptores dicunt historicam, qua certe sunt literis mandata, i. e. ad Lycurgi aetatem. Sed succedente tempore passim in civitatibus graecis homines nescio qui, quasi Homerico spiritu afflati, ad modum illustrissimi vatis versus aliquot effinxerant, qui ut Homerici hic illic in ore hominum circumferebantur. Hinc orta post ista fama [38]), cui vel Wolfius omnem fidem tribuit, illis temporibus Homeri carmina fuisse confusa, dispersa, dilacerata. Annis post multis Solon [39]), haud dubie eorum suavitate atque utilitate adductus, pro eximia sua sapientia Atheniensibus legem

---

32) Ita et recte quidem Tzetzae verba interpretatus est Ulricius. (Jahrbb. f. wiss. Kritik. 1836. Juni. p. 924.) Cf. Düntzerus l. a.

33) Cf. hic Mützelii, Bergkii, Boeckhii scripta, quae sunt de illorum poëtarum libris.

34) Hoc nobis refert illud Tzetzae scholium.

35) S. v. Ζηνόδοτος.

36) Legendus prae caeteris Düntzerus p. 33. sqq.

37) Lege, quae Nitzschius de hac re docte et copiose disputavit.

38) Testimonia huius falsi rumoris collegit Wolfius (Prolegg. p. CXLIII. sq. Not. 5.) et Düntzerus (p. 18. sq.). Antiquissimum eorum est Ciceronis. Ergone fides iis habenda?

39) Sequor hic prae caeteris Nitzschium (Hom. meletem. fasc. I. p. 160. sqq.).

dedit, ut illa carmina in ludis discerentur a pueris et festis Panathenaeorum diebus publice a rhapsodis recitarentur. Tum vero, nisi fallor, haud raro accidit, ut ludorum magistri aut rhapsodi non essent integris carminum exemplis instructi. Fortasse diversitas quoque singulorum exemplarium iam tum apparuit. Denique intellexerint etiam, interpolatos passim esse aut omissos aliquot versus. Quibus omnibus rebus Pisistratus, qui Solonis vestigia premeret, sine ulla dubitatione commotus est, ut scribendum curaret exemplar, quod norma esset ac regula. Ad quod negotium exsequendum tyrannus usus esse fertur [40]) opera et doctrina Concyli [41]) cuiusdam, hominis obscuri, Onomacriti Atheniensis, Zopyri Heracleotae, Orphei Crotoniatae, quorum, opinor, id fuerit officium, ut contraherent, quotcunque exempla possent, et inter se conferrent, quos versus alterum altero plures haberet, conquirerent et reciperent in novam editionem, postea singulas partes carminum accurate examinarent, mendosa a mendis purgarent et minus composita disponerent. Per quam occasionem id adeo dicitur [42]) factum esse Pisistrato [43]) auctore, ut Ilias de industria interpolaretur, insertis quibusdam versibus, qui Athenis aliquantum honoris adderent: quae quidem res nobis moveat oportet suspicionem, ne ista editio omni, qua debebat, religione sit curata. Nihilo tamen minus Attico illi exemplo non in sola urbe Athenarum omnis auctoritas videtur fuisse, ut per longam multorum annorum seriem nemo auderet novam parare editionem, quanquam Homeri carmina tunc in multa exemplaria et publicis et privatis sumtibus transcripta fuerint, ut in Creticum, Cyprium, Sinopense, Massiliense, Antimachi, Aristotelis, Alexandri Magni, alia [44]). Jam vero quo maior inde ad Pisistratum redundavit gloria, eo magis ista fama potuit increbescere, dilaceratos et confusos antea Homeri libros ab illo tyranno sic esse collectos et dispositos, ut nunc habemus.

Sed quanto magis auctus est numerus exemplarium, tanto crebrior, ut solet, sensim paulatimque versuum vocumque discrepantia exstiterit. Deinde iam multa Homeri verba obsoleta erant facta, multae res obscurae. Itaque exorti sunt, qui eiusmodi scrupulos removere tentarent partim ipsi partim per alios, quos captiose interrogare talia consueverant [45]). Et eo quidem tempore certe accidit, ut ars critica primas ageret radices, h. e. coepta sunt Homeri carmina, versus, vocabula vel singulatim vestigari, castigari, emendari,

---

40) Leg. Tzetz. schol. in Ritschlii libro allato.

41) Hoc nomen corruptum esse, omnes intelligunt; sed quis hominum sub eo lateret, adhuc nemo vidit, nec Düntzerus (l. allato p. 23.), qui Simonidem exsculpsit.

42) Leg. Nitzsch. et Düntzr. (p. 12. 26.) libri, quos super commemoravimus.

43) Nonnulles scriptores hoc Soloni tribuere, idem Nitzschius et Düntzerus copiose docent.

44) Cf. Wolf. prolegg. p. CLXXV.

45) Cf. Wolf. p. CLXXXV. CXCIV. sqq.

explicari. Inter eos autem, qui brevi ante Zenodotum operam suam in talibus studiis collocaverunt, a nobis hic praecipue commemorandus est Philetas ille, Zenodoti magister, quem librorum Homeri corrigendorum fuisse studiosum tum ex scholiis nonnullis [46]) elucet tum inde, quod posthac Aristarchus librum adversus eum scripsisse fertur [47]). Quin ille Ἄτακτα sive Γλώσσας traditur [48]) composuisse, quibus Homeri carmina illustrasset. Atque sic quidem eiusmodi studia facile ab eo discere poterat et ipse discipulus.

Quae cum ita se haberent, aggressus est Zenodotus opus illud, quod Ptolemaeus Secundus ei mandaverat, et ad quod nemo poterat eo magis idoneus videri. Versatus autem videtur esse in isto labore ita, ut primum plura carminum exemplaria, quotcunque contraxisset, inter se conferret, deinde versus, qui in hoc alterove exemplo deessent vel suspecti viderentur, signo quodam notaret [49]), postremo singulas voces, si quae minus apte collocatae viderentur, disponeret, si quas minus appositas ad rem vel minus congruas inter se duceret, corrigeret et cum aliis mutaret. Sic adornavit editionem, quae, iam a veteribus multa laude celebrata et prae caeteris Zenodoteae cognomen adepta [50]), auctori tantam paravit gloriam, ut omnium consensu iis adnumeratus sit, qui de Homeri libris optime meruissent [51]). Quare factum est, ut serior quaedam aetas, fabulis foecunda et omnes temporum rationes commiscens, eum fecerit Pisistrati ministrum [52]) et adeo fabulata sit, eum ipsum „sacri lacerum collegisse „corpus Homeri" [53]). Tanta igitur circumspectione ac tam accurata omnium rerum rationumque consideratione egit Zenodotus; itaque non mirum est, Aristophanem in permultis rebus cum eo consensisse [54]), in multis adeo Aristarchum. At vero si

---

46) Wolf. prolegg. p. CLXXXVII. et Bekkeri ind. Schol. Hom. Il. adiectus s. v. Philetas.

47) Schol. Hom. Il. I, 524. (p. 41. a. 2.)

48) Wolf. prolegg. p. CXCVI. sq. Not. 67.

49) Obelo. Schol. Hom. Il. p. II. (ed. Bekk.) τὸν δὲ ὀβελὸν ἔλαβεν ἐκ τῆς Ζηνοδότου διορθώσεως.

50) Ἡ vel αἱ Ζηνοδότου (Schol. Hom. Il. I, 598. [p. 45. b. 17. sq.], III, 51. [p. 98. b. 47. sq.]), ἡ κατὰ Ζηνόδοτον ἔκδοσις (Athen. I, 21. [p. 12. E.]), ἡ διόρθωσις Ζηνοδότου (Schol. in Dionys. Thrac. gramm. p. 768. [ed. Bekk.]), αἱ Ζηνοδότου διορθώσεις (Apollon. Dysc. de pronom. p. 140. B.), quo numero plurali non plures significantur editiones.

51) Schol. Hom. Il. p. II. (bis) Eustath. ad Iliad. I. init. T. I. p. 5. lin. 28. sqq. (ed. Lips.) οἱ συνθέμενοι ταύτην [τὴν τῆς Ἰλιάδος ποίησιν] — — γραμματικοὶ καὶ διορθωσάμενοι — —, ὧν κορυφαῖος ὁ Ἀρίσταρχος καὶ μετ' ἐκεῖνον Ζηνόδοτος. Cf. Sueton. de grammat. 11. Auson. de ludo VII. Sapient. 11. sq. epistol. XIV, 29.

52) Schol. Dionys. Thrac. gramm. l. allato. Tzetz. schol. l. all. p. 4. Istam fabulam bene iam expedivit Wolfius (prolegg. p. CXLVII. sq.).

53) Auson. epistol. l. allato. Frustra hanc fabulam Düntzerus (libro all. p. 47. sqq.) defendit. Zenodoti opera nimis est exaggerata.

54) Cf. ind. schol. Hom. Il. s. v. Aristophanes (p. 820. a.).

si nec fuerunt, qui libros contra eum scriberent [55]), qui versus ab eo emendatos ad aliud argumentum idque ridiculum detorquerent [56]), qui eum levitatis, inconstantiae et studii ineptiarum accusarent [57]); si plurimae eius mutationes versuum verborumve Homericorum admodum improbabiles et a tanta temeritate iudicii profectae videntur, ut ita emendare hodie vel tironem pudeat; si versuum ab eo expunctorum tanta est multitudo ac licentia, ut nonnullis visus sit Homerum prope ex Homero tollere; si denique omnem sibi in ista aliena opera tanquam in sua potestatem arrogat: primo non ipse ea omnia commentus est, quae pro Zenodoteis venduntur [58]), plurima sunt potius omnino eorum, qui ante eum vixerunt, emendatorum et interpretum; tum rationes nos plerumque latent, cur hoc vel illud fecerit; deinde permulta post ab Aristarcho et aliis correcta sunt, quae non debebant corrigi, et, quae Zenodotea dicuntur, ipsa pro genuinis habenda [59]); denique critica ars, maxime grammatica, illo tempore in primis quasi vitae incunabulis constituta erat, et graecus sermo nondum ad leges et praecepta subtiliora revocatus, adeo ut vel ingenioso labi liceret et inconstanti esse in isto genere, quod minus ingenio quam praeceptis regitur.

Zenodotus igitur praesertim critici partes egit. Quae vocabula sic in Homericis poëmatibus mutaverat (Γραφάς), ea posthac in unum corpus collegerat et in lucem ediderat Ptolemaeus grammaticus, is ipse, qui ὁ ἐπιθέτης cognominatus est [60]); sed hic liber dudum periit. Plurima tamen continentur scholiis, pauca paucis grammaticorum antiquorum libris. Atque haec quidem, si recte de Zenodoti studiis iudicare velis, sunt inquirenda. Quare postmodum singula per unam pluresve rhapsodias perlustremus. At vero de eius ratione interpretandi propemodum nihil est quod noscamus. Nam composuisse quidem fertur singularem librum, qui Ἄτακτα sive Γλῶσσαι inscriptus erat, et in quo sine ulla dubitatione vel prae caeteris vel inter alias etiam Homericas explicuit voces [61]), verum

55) Velut Apollonius Rhodius. Schol. Hom. Il. XIII, 657. (p. 377. b. 47. sq.) Cf. Weichert in libro, quem supra iam attulimus, p. 92.
56) Ut Dionysius Thrax. Schol. Hom. Il. XVI, 93. (p. 442. b. 33. sq.)
57) In his et sequentibus plerumque Wolfii verbis (prolegg. p. CC. sqq.) usus sum.
58) Ζηνόδοτος γράφει, quae verba sexcenties in scholiis Homericis reperiuntur, non significant: Z. hanc vel illam lectionem mutavit, sed haec vel illa lectio in editione Zenodotea inventa est. Item Ζηνόδοτος ἀθετεῖ κτλ. potest etiam dictum esse pro: Z. nota significavit, hos versus ab aliis quibusdam haberi spurios, vel nonnullis exemplaribus afuisse.
59) Eadem modo intellexit et ipse Langius, Gymnasii Olsnensis director, qui ante hos sex menses observationes criticas in Iliadis librum primum scripsit, in quo libello eadem fere docuit.
60) Schol. Hom. Il. II, 111. (p. 55. b. 3. sq.) XIV, 37. (p. 385. b. 21. sq.) 249. (p. 396. a. 18. sq.)
61) Schol. Hom. Odyss. III, 444. (p. 113. ed. Buttm.) Schol. Theocrit. V, 2. Schol. Apollon. Rhod. II, 1005. Etym. M. p. 520, 51. sq. Cf. Wolf. prolegg. p. CCXV. Not. 84.

et ipse hic interiit, item is, qui Ἱστορικὰ ὑπομνήματα continebat, et qui exstabat adhuc Athenaei aetate, de quo tamen iam ille Naucratites dubitabat [62]), utrum Zenodoti an non Callimachi esset. Neque minus ignoramus, an istae epitomae, quas quidam Zenodotus confecerat, et quae erant de rebus mythologicis [63]), huc trahendae sint: ad hoc ne eae quidem ad nostram aetatem pervenerunt.

Iliadis

liber primus.

v. 4. 5. Scholiastes Venetus (A.): ὅτι Z. τοὺς δύο ἀθετεῖ. Nulla est adiecta causa. Heynius, „Videratne," inquit, „a nonnullis codicibus abesse? an norat „a rhapsodis insertos versus esse?" At ne hoc quidem est rationem indagare. Namque rursus nos interrogamus, cur id factum fuerit? Melius ille addit: „Quae„ri id quoque posse puto, an recte adiecti sint versus; verum enim non est, „corpore caesorum insepulta abiecta esse; nam post priorem pugnam induciis „factis corpora ablata sunt et sepulta. Post alteram et tertiam pugnam non „satis fuit otii ad sepulturam." Quod si etiam Z. vel ante eum alius vir doctus investigaverat, poterat opinari eiiciendos esse illos versus. At in poëmatis talia non sunt premenda; quare ille errasse iudicandus est. Minus subtiliter scholiastes: γένεται δὲ τὸ προοίμιον κόλον. Quanquam hoc et ipsum est verum; nam expunctis illis versibus, initio carminis multum copiae et ornamenti detrahitur.

v. 5. πᾶσι] plane supervacanea appendix, etiamsi accipias pro παντοίοις. „Suspicio eo augetur, quod in omnibus similibus locis id additamentum non „reperitur." Ita recte Langius in illo programmate, quod supra commemoravi. In Z. editione scriptum legebatur δαῖτα, in quo verbo reprehendendo multi fuerunt scriptores quidam veteres [64]), δαῖτα de bestiis dici negantes. At falsi sunt. Nam contrarium probatur alio quodam versu, ubi leo pecudes dicitur invadere, ἵνα δαῖτα λάβῃσι. Ad hoc paria orationis membra, quae nunc existunt, versibus multum praebent exornationis. Equidem igitur cum Langio Zenodoteum praeferendum puto.

v. 8. σφωε[ὁ Z. σφῶε[ν] ἔγραφεν. A. Quam formam Dionysius quoque Sidonius probavit et fortasse etiam Seleucus [65]). At scholiastes Lipsiensis (L), Οὐ καλῶς, inquit, ἡ γὰρ σφῶϊ δύο πτώσεις ἐπιδέχεται ὑμεῖς τε καὶ ὑμᾶς, ὧν οὐδέτερον

---

62) III, 49. (p. 95. F.)

63) Athen. X, 2. (p. 412. A.)

64) Athen. I, 21. (p. 12. E. sqq.), e quo Suidas sua verba hausit s. v. δαιτή. Eustath. p. 18. lin. 18. sq.

65) Cf. Heynius ad l. l.

ἁρμόττει, τὸ δὲ σφωὲ μᾶλλον τρίτον ἐστὶ δυϊκοῦ προσώπου καὶ σημαίνει τὸ αὐτούς. Apostrophe ob ea, quae statim sequuntur (ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶς κτλ.), hic non potest apta haberi. Cf. ad vs. 336.

v. 24. Ὅτι Ζ. γράφει· Ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδεω. A. Igitur scripserat etiam Ἀγαμέμνονος, qui duo genitivi e θυμῷ pendent. Hoc non debet ut falsum recusari, etiamsi in similibus locis θυμῷ pro ἐν θυμῷ est (cf. Heyne). Nonne Homerum variasse orationem suam putemus? Falso quidem scholiastes: Ὁ δὲ ποιητὴς δοτικὴν ἀντὶ γενικῆς παραλαμβάνει. Sed aeque sensit.

v. 34. ἀκέων] ὅτι Ζ. διὰ τοῦ χ ἀχέων. A. Ergo antiquius ἀχέων fuit; recentiores critici ἀκέων emendaverunt. Et „si reputaveris patrem ob filiam sibi recu„satam summo dolore affectum esse, Zenodoti lectionem ἀχέων huic loco aptio„rem esse vix negabis. Ipse Wolfius ἀχέων probavit. Cur igitur non recepit?" Ita bene Langius.

vs. 42. τίσειαν] ὅτι Ζ. τίσειεν. A. Quod si non fuit mendum, necesse est existimemus, antiquitus duas illas formas nondum fuisse diversas.

vs. 46. 47. Ὅτι Ζ. ἀμφοτέρους ἠθέτηκεν. Οὐ καλῶς. A. Recte iudicavit scholiastes. Isti enim versus si deessent, deesset carmini magnus flos et color. Quanquam de altero versu idem sensit Bentleius.

vs. 47. νυκτὶ ἐοικώς]. Schol. A. ad XII, 463.: ὁ δὲ Ζ. γράφει νυκτὶ ἐλκυσθείς, quod magis poëticum mihi videtur.

vs. 56. ὁρᾶτο] ὅτι Ζ. ὁρῆτο γράφει. A. Zenodoteum defenderunt Heynius [66], Buttmannus [67], Rostius [68], Langius.

vs. 60. εἴ κεν] ὅτι Ζ. οἵ κεν γράφει, Οὐ καλῶς· καλὴ γὰρ ἡ ἀπόγνωσις τῆς σωτηρίας. A. At relativum pronomen non raro ponitur loco εἰ cum pronomine. Cf. Matthiae gramm. gr. §. 481. Not. 1. Cur igitur id non retineamus ut antiquius et genuinum?

vs. 63. Ζ. ἠθέτηκεν αὐτόν. A. Cuius rei causam scholiastes coniicit hanc: μήποτε δὲ ὀνειροκρίτην ὑπείληφεν, h. e. Zenodotus fortasse putavit ὀνειροπόλῳ hic significari ὀνειροκρίτην, quae verbi vis sane hic esset inepta; quare recte interpres addit: Οὐκ ὀρθῶς. At fortasse hic versus a recentiore quodam demum editore in contextum receptus erat. Necessarius quidem non fuerit.

v. 68. κατ' ἄρ' ἕζετο] ὅτι Ζ. γράφει ἐκαθέζετο. A. Zenodotea editio etiam alibi in verbis cum praepositionibus, maxime cum κατά compositis augmentum ante praepositionem admittit. Cf. Schol. ad 611. XV, 716. Odyss. IV, 304. VI, 1. XV, 716. In Odyss. XVI, 408. vel omnes editiones ἐκάθιζον servarunt. Itaque cum Langio faciendum puto, qui Aristarchum ait, augmenti adversarium, ho-

---

66) Ad vs. 198.

67) In gramm. ampliori T. I. p. 505. 516. sq.

68) In grammat. gr. pag. 320. s. v. ὁράω. 418. Not. 2.

rum verborum augmentum in exilium misisse et illo in versu et ubicunque redeat, ἐκαθέζετο revocandum esse censet, quanquam adversante Buttmanno.

vs. 69. Κάλχας] ὅτι Ζ. γράφει μάντις Θεστορίδης. A. Quod scholiastes refutare studet his verbis: οὐ δύναται δὲ τῷ γένει τὸ εἶδος ἅμα συγκατατίθεσθαι. At hoc falsum esse, quicunque Homeri carmina attente legerit, intelliget. Cf. Langius, quocum nullam videmus causam idoneam, cur Zenodoti auctoritatem repudiemus.

vs. 73. ὅ σφιν] Ζ. γράφει· ὅς μιν ἀμειβόμενος ἔπεα πτερόεντα προσηύδα. A. Ergone haec fuerit antiquior lectio? quae praeterea simili loco (VIII, 351.) firmatur. Denique Langius acute docet, omnibus locis, quibus altera lectio (ὅ σφιν ἐϋφρονέων ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν) iteretur, admonitionem aut adhortationem indicare, quae ad totam concionem pertineat, non ad singularem aliquem hominem. Quare non possum non cum eo illud Zenodoteum probare.

vs. 80. κρείσσων] Ζ. δὲ κρείσσω γράφει. B. L. ὅτι Ζ. χωρὶς τοῦ ν γράφει, τὰ δὲ τοιοῦτα εὐσύγκριτα ἔχει ἐπὶ τῆς εὐθείας τὸ ν. A. At cf. I, 249. et ibi Heynius. Schol. ad III, 71. 92. VII, 114. XVI, 688. Od. II, 180., ex quibus locis satis apparet, nominativo casui comparativorum hanc formam antiquitus fuisse. Quare iam Buttmannus [69]) eam defendit. Quidni igitur nos praeferamus?

vs. 83. φράσαι] ὅτι Ζ. γράφει φράσον. A. Illud sine dubio Aristarchus in contextum verborum Homericorum recepit (cf. Heynius ad h. l.), quoniam Homerus medii forma uti solet. At si solet, num propterea semper ita dixisse putandus est? Scholiastes quidem: μᾶλλον δὲ τὸ φράσαι ἁρμόζει. At causam non addidit.

vs. 86. Κάλχαν] ὅτι Ζ. χωρὶς τοῦ ν Κάλχα. A. Adiecit hanc regulam: τὰ δὲ εἰς ας λήγοντα διὰ τοῦ ντ κλινόμενα ἐπὶ τῆς γενικῆς ἔχει τὴν κλητικὴν εἰς ν, Θόαν, Αἶαν. Cf. ad XIII, 68. 222. At quid, si ista casus vocativi forma Zenodoti aetate nondum usitata fuerit? Cf. Buttm. amplior. gramm. I. p. 179. „doch begnügen sich „mehre Propria auf ας, αντος auch mit dem langen α des Nom., z. B. Ἄτλας, ὦ Ἄτλα, „Πολυδάμας, Πολυδάμα etc." Equidem igitur retinuerim istam antiquiorem formam. Cf. etiam Matthiae gramm. maior. T. I. p. 210. ed. IIItiae.

vs. 91. ἐνὶ στρατῷ] Ἀχαιῶν, οὐκ ἐνὶ στρατῷ αἱ Ἀριστάρχειοι, ὁμοίως καὶ ἡ Ζηνοδότου. A. Et Ἀχαιῶν aptius videtur totius loci sententiae. Legas Spitznerum ad h. l.

vs. 97. λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει] Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἀπώσει· οὕτως αἱ Ἀριστάρχου, καὶ ἡ Μασσαλιωτικὴ δὲ καὶ ἡ Ῥιανοῦ τὸν αὐτὸν ἔχει τρόπον. ἔοικεν οὖν ἡ ἑτέρα Ζηνοδότου εἶναι, ἡ „οὐδ' ὅγε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει." A. Zenodotea lectio haud dubie est antiquior et genuina, et explicanda auctore Eustathio (ὅτι οὐκ ἂν τὰς τοῦ ἀποτροπαίου θεοῦ Λοιμοῦ χεῖρας ἀποκωλύσῃ ἡμῶν) cum Langio sic:

---

69) Grammat. amplior. p. 214. Not. ***)

qui nec daemonis pestilentiae graves manus a nobis arcebit. Quae cum multi veterum interpretum non intelligerent, Homeri verba altero modo mutaverunt sine iusta causa.

vs. 100. *τότε κέν μιν*] ὅτι Z. γράφεν αἴ κέν μιν. A. B. L. Quod Zenodoteum probo ut antiquius. Nam quod scholiastae addunt: γελοῖον δὲ διστακτικῶς λέγειν τὸν μάντιν, nihili est. Sexcenties enim, ut iam Heynius recte ad h. l. docuit, αἴ pro ἵνα est; κὲν autem hic pertinet ad optativum verbi (πεπίθοιμεν).

vs. 114. *οὐ ἕθεν ἐστί*] ἕθεν hic inclinandum esse iam Z. vidisse dicitur, si quidem iste Zenodotus, cui hoc tribuitur, Ephesius fuit.

vs. 117. *βούλομ' ἐγὼ λαόν*] ὅτι Z. αὐτόν ἠθέτηκεν. A. Sed ratio, quam scholiastes addit, utique non fuit Zenodoti: ὡς διανοίας εὐήθους οὔσης. Οὐ δεῖ δὲ αὐτὸν ἰδίᾳ προφέρεσθαι ἀλλὰ συνάπτειν τοῖς ἄνω· ἐν ἤθει γὰρ λέγεται. Verisimilius est, hunc versum ab aliquo insertum esse. Neque est omnino necessarius. Heynius rem non videtur acu tetigisse.

vs. 129. *Τροΐην*] ὅτι Z. γράφει Τροίην. A. Aristarchus et qui eum secuti sunt, negantes, regiam Priami urbem hic commemorari, probarunt Τροΐην. At urbs Troianorum ab Homero saepenumero Τροίη dicitur. Cf. Heynius et Spitznerus ad h. l.

vs. 143. ὅτι Z. αὐτὸν ἠθέτηκεν. ἀναγκαῖος δὲ ὁ περὶ τῆς Χρυσηΐδος λόγος· ταύτης γὰρ ἕνεκα ἐγένετο καὶ ὁ λοιμός. A. At his verbis nihil aliud scholiasta quam rationem defenderit, cur omnino hic versus sit additus.

vs. 159. *ἀρνύμενοι*] ὅτι Z. γράφει τιμὴν ἀρνύμενος. A. Spitznerus, "Τιμὴν ἀρνύμενος," inquit," dum Z. scribit, participium ad Agamemnonem solum pertinere putavit." Equidem dixerim: Adhuc Zenodoti aetate in illo versu singularis numerus participii exstitit; post in pluralem converterunt. Quod tamen editores male fecerunt; nam singularis ad Agamemnem solum pertinens mihi magis ad rem videtur quadrare. — Scholiastes adiecit: καὶ τὸν ἑξῆς (vs. 160.) ἠθέτηκεν. Qua tamen de causa hic versus afuerit ab editione aliqua, aut potius qua auctoritate moti nescio qui eum inseruerint, ignotum est.

vs. 163. *ὁππότ' Ἀχαιοί*] ὅτι Z. γράφει· οὐδ' ὅτ' Ἀχαιοί. A. Quam Zenodoti lectionem ut antiquiorem haud dubie et cum sententia tota optime congruentem praefero. Nam quae scholiastes affert, nihili sunt.

vs. 169. *Φθίηνδ'*] οὕτως σὺν τῷ δ αἱ Ἀριστάρχου Φθίηνδ', καὶ ἡ Ζηνοδότου ὁμοίως. A. Male igitur alia scholia Zenodoteae editioni Φθίην tribuunt. Cf. Spitznerus ad h. l. Literam recte Wolfius et alii in contextum carminis receperunt.

vs. 195. 196. Schol. ad vs. 216. *σφωΐτέρου*] ὅτι πρὸς δύο ἀμείβεται. τὸ γὰρ σφωΐτερόν ἐστιν δυϊκόν. κακῶς ἄρα ἀθετεῖ Z. τὸν „Πρὸ δὲ ἧκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη," καὶ τὸν „ἄμφω

ὁμῶς κτλ." (208. 209.) Cf. Schol. A. ad 208.: ὅτι ἀμφοτέρους Z. ἠθέτηκεν, οἰκείως δὲ μᾶλλον κεῖνται εἰς προτροπὴν τοῦ Ἀχιλλέως. Heynius ita: "Si verum est, Z. omnino "sustulisse versus" [melius dixisset: pro spuriis vel suspectis habuisse aut saltem dubitanter notasse], "potest ille hoc respexisse, quod, si omnes dii in Aethiopiam "profecti sunt, quomodo Minerva a Junone missa ex coelo (οὐρανόθεν) delabi po-"tuit?" Est aliquid, si quidem talia in poëmatibus amplioribus premenda sunt. Fortasse vero illi versus a quodam critico sunt inserti.

vs. 203. ἴδη] ὅτι χωρὶς τοῦ σ τό ἴδη. οὕτως καὶ ἡ Ἀριστάρχου. A. Cf. ad XIII, 449. ἴδης] οὕτω Z., Ἀρίσταρχος δὲ ἴδη διὰ τοῦ ι. V. Ergo Zenodotea lectio erat ἴδης eaque antiquior; Aristarchus correxit ἴδη. At cur correctori magis obsequamur, cum nulla sit causa idonea corrigendi? Nam quae Scholiastes A. ad III, 163. dixit. ὅτι χωρὶς τοῦ σ γράφειν ὁμηρικώτερον, nullius sunt momenti. Cf. Langius.

vs. 204. ὅτι Z. γράφει· τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται. A. Aristarchus correxit τελέεσθαι ὀΐω. Zenodoteum illud bene defendit Langius.

vs. 212. τετελεσμένον ἔσται] ὅτι Z. γράφει τετελέσθαι ὀΐω. A. Non acu rem tetigerunt scholiastae: τοῦτο δὲ Ἀχιλλεῖ ἥρμοζεν. A. εἰ μὲν ἄνθρωπός ἐστιν, ὀΐω φησίν, εἰ δὲ θεός, διαβεβαιοῦται. B. L. Subtilior enim est haec distinctio. Equidem Zenodoteum illud retinuerim.

vs. 219. 220. Z. μεταγράφει· ὣς εἰπὼν πάλιν ὦσε μέγα ξίφος οὐδ' ἀπίθησε, καὶ τοὺς δύο ἕνα ἐποίησεν. A. Ratio huius rei non liquet.

vs. 225. — 33. ὅτι Z. τοῦτον τὸν τόπον ἠθέτηκεν ἕως τοῦ „Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον" (A.), inductus sine dubio a Platone (de rep. III. p. 390. A. Cf. Plutarch. de aud. poet. p. 67.) qui huius modi convicia indigna Achille existimavit.

vs. 251. οἳ οἱ] ὅτι Z. γράφει αἳ οἱ. A. Ergo qui post Zenodotum Homeri carmina ediderunt, emendavere οἵ οἱ. At hoc auribus ingratum, et αἳ potest ferri. Itaque Zenodoteum illud cum Langio praeferendum puto.

vs. 260. ἠέπερ ἡμῖν] ὅτι Z. γράφει ἠέπερ ὑμῖν ἀντὶ τοῦ ἡμῖν. A. Unam Zenodoteam lectionem genuinam esse, indicarunt iam ante me Heynius, Vossius, Freytagius, Spitznerus, Langius.

vs. 271. κατ' ἐμ' αὐτόν] ὅτι Z. γράφει κατ' ἐμωυτόν. A. Utrum verum sit, non audeo diiudicare. Res dubia est et incerta.

vs. 299. ἐπεί μ' ἀφέλεσθέ γε δόντες] ὅτι Z. γράφει ἐπεί 'ρ' ἐθέλεις ἀφελέσθαι. A. Mihi quidem Zenodotea lectio magis placet cum ob vetustatem maiorem tum ob sententiam. Quae scholiastes dicit, alteram defendens (ἔργῳ δὲ κοινωνεῖ εἰς ἅπαντας, τὴν αἰτίαν τῆς ἀφαιρέσεως ἀγνοῶν), non sunt apta ad persuadendum sed grammaticum aliquem subtiliorem ad corrigendam antiquiorem lectionem facile possunt adduxisse.

vs. 336. ὁ σφῶϊ] ἡ διπλῆ δέ, ὅτι Ζ. γράφει σὺν τῷ ν ὁ σφῶϊν. τοῦτο δὲ σημαίνει ὑμῶν ἢ ὑμῖν, ὧν οὐδὲν ἁρμόζει τῷ λόγῳ ἀλλὰ τὸ ὑμᾶς. A. L. Cf. quae ad vs. 8. dicta sunt.

vs. 351. χεῖρας ὀρεγνύς] ὅτι Ζ. γράφει χεῖρας ἀναπτάς. A. Zenodoti lectionem satis idoneis rationibus defendit Langius, quare non opus est pluribus de ea dicere.

vs. 393. ἔηος] ὅτι Ζ. γράφει ἑοῖο. A. Hanc Zenodoti lectionem vulgari praeferendam esse, iam Bekkerus, Thierschius, Buttmannus viderunt; sed Langius etiam veram et Homericam esse ita probavit, ut mihi plane persuaserit.

vs. 396. ἡ διπλῆ δέ, ὅτι ἀπὸ τούτου τοῦ στίχου ἕως τοῦ „τὸν καὶ ὑπέδδεισαν" (406.) Ζ. ἀθετεῖ. A. Hi undecim versus quam ob causam spurii queant videri aut visi sint, nos non iam possumus judicare.

vs. 400. Παλλὰς Ἀθήνη] ὅτι Ζ. γράφει φοῖβος Ἀπόλλων. B. L. Ergo Zenodotea lectio antiquior. Eam vero et ipsam fabulis congruam, docuerunt Lobeckius et Langius. Quare uterque et ipse Wolfius praetulerunt, atque ego quoque praefero.

vs. 404. ὁ γὰρ αὖτε κτλ.] ὅτι Ζ. γράφει

ὁ γὰρ αὖτε βίῃ πολὺ φέρτατος [Eustath. φέρτερος] ἁ— [corrige cum Heynio ἦε] πάντων, [ὀπίσσ] οἳ ναίουσ' ὑπὸ Τάρταρον εὐρώεντα. A.

Quorum verborum sententia multo aptior videtur, quam quae inest in vulgari lectione.

vs. 434. ὑφέντες] Ἀρίσταρχος ἀφέντες, Ζ. ὑφέντες. A. Ζ. μὲν ὑφέντες, αἱ δὲ ἄλλαι πᾶσαι ἐφέντες [ἀφέντες? Cf. Spitzner.]. B. L. Zenodoteum unum esse probandum, iam viderunt Heynius, Wolfius, alii.

vs. 440. — 448. ὅτι Ζ. οὕτως συντετμημένως, „ὣς εἰπὼν [Spitznerus tacite correxit εἶπεν]· τοὶ δ' ὦκα θεῷ ἱερὴν ἑκατόμβην ἑξείης ἔστησαν." A. Quis illa ἐν χερσὶ τίθει — — παῖδα φίλην inseruerit et unde, nescimus. Possunt tamen abesse, quippe cum res, quae iis significatur, ex toto sententiarum nexu facile suppleri queat.

vs. 447. κλειτήν] Ζ. habet ἱερήν, quam lectionem iure suo defendit Langius.

vs. 488. ὅτι Ζ. ἠθέτηκεν ἕως τοῦ „αὖθι μένων" (492.), τὸν δὲ „οὔτε ποτ' ἐς πόλεμον" (491.) οὐδὲ ἔγραφεν. A. Causam ignoramus.

vs. 530. κρατός] ὅτι Ζ. γράφει κρητός. A. Zenodoteum habet, quo defendatur. Cf. Langius. Quae contra scholiastes ad alteram lectionem commendandam affert, sunt nihili.

vs. 559. πολέας] Ζ. πολεῖς L. Scholiastes A., qui ad II, 4. in Zenodoti editione dicit fuisse πολῦς, haud dubie erravit. Sed an falsa sit brevior forma sive contracta, potest in dubitationem vocari. Cf. Langius.

vs. 567. ἄσσον ἰόνθ'] ὅτι Z. γράφει ἄσσον ἰόντε. A. Ergo nondum apostropho usus est? Sed dualis numerus nescio an ab ullo critico possit defendi.

ibid. ἀάπτους] οὕτως ψιλῶς προενεκτέον· οὕτως δὲ καὶ Ἀρίσταρχος. ἤκουε δὲ τὰς δεινὰς καὶ ἀπτοήτους. ὁ δὲ Z. καὶ αὐτὸς ὁμοίως τῷ πνεύματι, εἰς τὰς ἰσχυρὰς δὲ μετελάμβανεν. A. Ergo Zenodoti aetate spiritus etiam in verbis compositis adhibitus est more antiquis non insolito. Cf. Matth. gr. gr. §. 8. Not. 2.

598. οἰνοχόει] οὕτως οἰνοχόει Ἀρίσταρχος. Ἰακῶς· καὶ ἐν τῇ Ἀργολικῇ καὶ Μασσαλιωτικῇ καὶ Ἀντιμαχείῳ καὶ ἐν τῇ Ζηνοδότου καὶ Ἀριστοφάνους. A. οἰνοχόει, Ἰακῶς, πᾶσαι, κατάχρησις δὲ ὁ τρόπος. L. Tot ac tam egregiorum exemplarium auctoritas iam Heynium, Thierschium, Spitznerum, Freytagium, Langium movit, ut lectionem οἰνοχόει probarent.

vs. 609. πρὸς ὃν λέχος] ὅτι Z. χωρὶς τοῦ ν πρὸς ὃ λέχος. A. Cf. Apollon. Dyscol. de pronom. p. 140. B. Zenodoti igitur aetate adhuc declinabatur illud pronomen possessivum ὅς, ἥ, ὅ. Quod cum ita esset, non debebat ὅ in ὅν mutari.

vs. 611. ἔνθα καθεῦδε] ὅτι Z. γράφει ἔνθ' ἐκάθευδ' ἀναβάς. Cf., quae supra (ad vs. 68.) de hac re disputavimus.

Haec nunc sufficiant. Sed quamvis sint pauca, tamen hoc iam inde apparuerit, quae Zenodoteae dicantur lectiones, eas permultis locis praeferendas esse vulgaribus ac Zenodoti merita maiora habenda, quam haud pauci viri docti hactenus crediderunt.